

Cum autem objicitur intentionem dicere voluntatem efficacem, etc., respondemus non oportere intentionem esse omni ex parte absolutam, ut sic dicam, et consequenter neque necessarium esse, simpliciter et ex omni parte esse efficacem, sed tantum respectu intendentis, quamvis respectu aliorum possit conditionem includere. Sic enim qui decrevit agere iter cum socio, si ipse velit et non alias, vere intendit; unde si postea iter agat, illa voluntas satis est ut dicatur propter illum finem operari; quamvis respectu socii illa voluntas conditionem incluserit, sine qua non haberet effectum. Ad hunc igitur modum se habet voluntas antecedens Dei, et ideo sufficit ut dicatur effectus esse secundum intentionem Dei. Quod autem supra dicebatur, inter præfinitionem et permissionem non esse medium, falsum est, nam datur voluntas antecedens, ut est explicatum.

Peccata omnia dici possunt præter intentionem Dei esse. — Tertio ergo de malis actibus addimus, peccata omnia merito dici posse præter intentionem Dei esse, quia non solum sunt absque prædefinitione divina, sed etiam absque simplici complacentia, quam Deus in illis habeat, et absque voluntate antecedenti qua Deus illa intendat. Unde nihil operatur Deus ex intentione, qua velit ut actus mali fiant, sicut operatur in omnibus bonis cujuscumque ordinis sint; sed quoties influit concurrente ad malum actum, operatur ex alia intentione, præsciens et permittens effectum alicujus mali actus; ob quam rationem Scriptura simpliciter dicit peccatum esse contra voluntatem Dei, et esse Deo invisum, odio habitum, atque etiam ignoratum, scientia scilicet quæ approbationem includat; ergo merito dici potest esse præter intentionem Dei. Dices: ergo etiam dici poterit contingenter, id est, casu et fortuito eveniens respectu Dei. Respondetur negando consequentiam; quia hæc verba non solum significant esse præter voluntatem et intentionem, sed etiam præter scientiam, seu præscientiam et permissionem. Atque hoc est quod Molina docere voluit citatis locis, nam loquitur vel de lapsu primi hominis, vel de aliorum hominum peccatis, vel de nonnullis effectibus, qui ita ex illis proveniunt, ut si peccata non essent, nullo modo illa evenirent.

Objectio. — *Solvitur.* — *Duobus modis intelligitur Deus aliquid præfingere.* — Dices: ergo etiam Christi passio dici debet præter intentionem Dei, quia solum ex peccato seu

occasione illius introducta est. Et idem argumentum fieri potest de actu poenitentiae, et aliis qui, licet sint boni, necessario supponunt culpam; hæc autem sunt et contra dicta in priori illatione, et contra modum loquendi Scripturæ. Respondetur absolute negando sequelam, sed solum sequitur hæc non esse ex primaria intentione, seu institutione Dei, non autem non esse ex aliqua saltem secundaria. In quo multum differt inter ipsa peccata, et actus seu effectus bonos, qui occasione peccatorum fiunt; itaque duobus modis intelligitur Deus aliquid prædefinire, seu absolute velle, et ordinare. Primo ex se, et ex sola sua bonitate et sapientia, quomodo nos credimus voluisse incarnationem filii sui, prædestinatorum gloriam, mundi creationem, et similia, quæ dicuntur esse ex primaria Dei intentione et institutione. Secundo, vult quidem Deus aliquid, non tamen ex se solo, et quasi ex primaria inclinatione sua, sed ex aliqua hypothese, et præsertim occasione alicujus culpæ. Et hujusmodi sunt omnia quæ Deus præcise vult in remedium vel vindictam peccati. Hæc enim Deus absolute non vult donec necessaria vel utilia esse judicet, occasione alicujus peccati prævisi. Et hæc comparatione priorum dicuntur in Scriptura non esse facta a Deo, et consequenter nec volita; hoc enim sensu dictum est: Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione morientium, et Deus neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire; quamquam ex hypothese revera Deus velit et facia tilla.

Molina dictum, quod quidam parvuli ita pereant, ut parentes illis subvenire nequeant, effectum esse et poenam peccati primi parentis, in quo sensu intelligendum. — Et in hoc sensu dixit Molina in dicta disp. 4, q. 49, pag. 350, juxta primam editionem, quod quidam parvuli ita pereant, ut parentes illis subvenire nequeant, effectum esse et poenam peccati primi parentis, idque non per se, sed per accidens, ex ipsa dispositione causarum universi, et primi parentis casu seu lapsu, præter Dei institutionem ac voluntatem. Quæ verba in sinistro sensu quidam modernus interpretatus est, cum verus sensus et facilis sit et certissimus. Loquitur enim de institutione et voluntate quam Deus ex se habuit, circa salutem hominum, vel in statu innocentiae, et ante prævisum lapsum primi hominis, quæ absolute dici potest primaria institutio et voluntas, vel etiam post lapsum primi hominis,

quatenus ex se voluit omnes ab illo malo redimi ac liberari. Quæ est secundaria institutio respectu prioris, tamen etiam est primaria et per se comparatione facta ad damnationem eorum qui non salvantur. Et comparatione utriusque institutionis Dei, dicitur esse præter intentionem ejus, quod aliquis salvari non possit. Et eodem sensu dicitur hæc impotentia esse per accidens, non quia simpliciter eveniat casu respectu Dei; constat enim esse prævisam et permissam, sed quia non ex ordinante antecedenteque Dei voluntate provenit; sed solum ex voluntate quadam consequente, et quasi acceptante illud malum poenæ, in vindictam culpæ, supposita permissione ejus, et prævisione ex generali cursu causarum universi. Unde inferius circa quæstion. 22, art. 2, pag. 334, dixit idem auctor comparatione causæ primæ nullum esse effectum fortuitum, quia omnes sunt prævisi et subjacent divinæ providentiæ, quamvis non omnes sint intenti, sed aliqui tantum permissi.

Non solum culpæ, sed etiam aliqua poenæ non intenduntur a Deo, sed tantum permittuntur. — *Est in Deo voluntas absoluta, qua vult poenam in vindictam peccati.* — Indicat tamen ibidem non tantum culpas ipsas, sed etiam aliquas poenas esse ex his effectibus, qui non intenduntur a Deo, sed tantum permittuntur, quomodo ait: Non oportet ut mors illius qui, dum natum voluit, suffocatus est, fuerit a Deo intenta, sed tantum permissa. Nihilominus tamen negari non potest quin magna intercedat differentia inter peccatum et illud malum, quod tantum est poena peccati. Nam peccatum non solum non est intentum a Deo, sed nec simpliciter volitum voluntate consequente, sed pure permissum; poena autem, qualis est mors ejus qui suffocatur, etsi non sit intenta propria intentione quæ antecedit executionem et præparet media ad illam, tamen, supposita præscientia peccati, et quod talis effectus eventurus sit, si reliquæ causæ universi suo cursu agere sinantur, revera est in Deo voluntas absoluta, qua vult talem effectum in vindictam peccati, quia hoc bonum et justum est. Unde ratione hujus voluntatis dicitur in Scriptura nullum esse malum (utique poenæ), quod non fecerit Dominus, quod non dicitur unquam de malo culpæ, seu de actibus moraliter malis.

Neque hanc differentiam negare voluit Molina, nam diserte explicat paulo inferius, circa artic. 4 ejusdem quæst. 22, p. 380. Vas-

quez enim de actibus peccatorum dicit Deum nec intendere illos, nec ullo modo velle, sed tantum permittere; in pag. vero 301, loquens de aliis effectibus, qui sunt poenæ peccatorum, dicit Deum eos velle, vel sub hac conditione, si peccata committantur, vel absolute voluntate consequente, scilicet, quia, posita præscientia peccatorum, jam absolute vult alios effectus illos in vindictam peccatorum. Quocirca quando hi effectus dicuntur permissi, non id dicitur ad excludendam hanc voluntatem consequentem Dei, sed ad excludendam præviā intentionem, in cujus virtute per se et directe præparentur media ad talem finem, seu effectum. In quo etiam addo hoc genus intentionis necessarium quidem non esse in omnibus his effectibus, quia per se plus habent acerbis quam clementiæ; nihilominus tamen non repugnare, quin hoc etiam modo sint aliquando intenti a Deo, et ad illos præparentur et ordinantur media per divinam Providentiam specialem. In quo etiam differunt ab actibus peccatorum; estque ratio differentiae clara, quia hi effectus non sunt simpliciter mali, nec divinæ bonitati repugnantes, sicut peccata.

CAPUT XVI.

QUALEM PROVIDENTIAM GRATIÆ CIRCA REPROBOS COGANTUR PONERE AUCTORES QUI PHYSICAM PRÆ- DETERMINATIONEM AD SINGULOS ACTUS PUTANT ESSE NECESSARIAM.

Secunda pars hujus operis, in qua examinantur ea dogmata quæ ex necessitate physicæ prædeterminationis aperte inferuntur. — Refellimus hactenus dogmata quæ vel nobis falso attribuuntur, vel ex nostra sententia male inferuntur; superest ut in hac secunda hujus operis parte, ea dogmata examinemus quæ ex necessitate physicæ prædeterminationis aperte inferuntur, et a defensoribus illius sententiæ non gravate admittuntur.

Cabrera, disp. 6, dub. 4, n. 92. — *Ead. disp., dub. 4, num. 45 et 49.* — Primum dogma est, Deum ita providisse omnibus hominibus, quos non prælegit ad gloriam, de remediis ad salutem necessariis, ut per se ab extrinseco illis impossibile sit salvari. Non assero propositionem hanc sub his terminis ab eis tradi, sed assero in dictis ab eis evidenter contineri. Nam imprimis dicunt *liberum arbitrium infallibiliter deficere, nisi Deus efficaciter inchoet actum bonum*; intelligunt enim, ni-

si Deus solus inchoet sine ipso libero arbitrio; hoc enim est quod in illis disputationibus intendunt contra nos persuadere, nam quod nobiscum inchoet Deus, nos maxime profite-mur; unde quod aiunt, *infallibiliter deficere nisi Deus inchoet actum*, non est ex aliqua præscientia, vel suppositione, sed ex intrinseca et essentiali impotentia liberi arbitrii; quare ita illud dicitur infallibile, ut oppositum sit simpliciter impossibile. Quia infallibilitas illa fundatur in essentiali dependentia liberi arbitrii a Deo, quæ tanta est, juxta hos auctores, ut non possit liberum arbitrium prodire in actum, nisi Deus solus prius efficaciter inchoet illum, determinando nimirum ipsum liberum arbitrium. Igitur ex sententia hujus auctoris, quam impossibile est causam secundam operari sine concursu primæ, tam est impossibile liberum arbitrium creatum efficere actum bonum, nisi prius Deus solus efficaciter inchoet illum. At subjungit eodem loco idem auctor, *initium efficacis actus reliquisse Deum arbitrio eorum qui revera prædestinati non sunt, et ideo, ait, nunquam ad tantum bonum devenient ut tali actui initium efficacis tribuant*. In qua sententia evidenter ait reliquisse Deum reprobos ex vi suæ providentiæ in eo statu, in quo sit illis impossibilis inchoatio actus boni. Quia hæc inchoatio est propria et quasi essentialis causæ primæ, ut sic; ergo est impossibilis causæ secundæ ut sic; ergo si Deus committit non prædestinatis ut inchoent actus, aliquid impossibile eis committit, nam hoc causa secunda facere non potest, ut idem auctor paulo inferius docet. Unde etiam fit, cum inchoare actum bonum sit medium necessarium ad salutem, Deum ducere hos homines ad illum terminum per viam prorsus inviam et inaccessibilem, id est, per medium prorsus impossibile. Unde ulterius sequitur in hujusmodi hominibus non esse defectum voluntatis, sed potestatis, quod non inchoent hujusmodi actus, quia illud non est munus causæ secundæ, et nihilominus imputari eis ad culpam quod careant his actibus, qui ad salutem necessarii sunt; quod quam sit durum et absurdum satis per se constat.

Prædictus tamen auctor nihil horum reputat inconueniens, quin potius aliis locis expresse illa confirmat; nam alibi, disp. 6, dub. 7, sic inquit: *Deus nec dat, nec paratus est dare auxilium efficacis omnibus reprobis, sed decrevit firmo proposito, et quasi prolata sententia illis non dare, sed eos deserere*. Declarat

autem, disp. 6, dub. 7, n. 13 et 24, Deum habuisse hoc decretum ex se, et quasi ex primaria intentione sua, nulla ratione habita dispositionis ex parte hominis, sed ante omnem operum prævisionem. Per auxilium autem efficacis intelligit ipsummet concursum Dei, ut primæ causæ, quod prævium esse putat, et prædeterminans causam secundam, et ita complens illam, ut impossibile simpliciter sit sine illo auxilio operari. Unde alio loco, dub. 3, n. 109 et seq., dub. 4, num. 43 et seq. consequenter ait, et ex professo persuadere conatur, non esse in potestate hominis habere hoc auxilium efficacis.

Quod si interrogas quomodo homini imputetur ad culpam non facere id quod sine hoc auxilio efficaci facere non potest, siquidem tale auxilium neque habet, neque habere potest, respondet alibi: Licet non sit in potestate hominis habere determinationem ad talem actum, verbi gratia, amorem, nihilominus illi imputatur si non amet, quia ad hoc satis est quod habeat aliud donum quod confert potestatem amandi. Quale ipse esse putat auxilium præveniens seu excitans, quod ab his auctoribus solet appellari sufficiens, et de illo dicunt quod dat posse, non autem operari, et id satis esse ut homini imputetur non operari.

Quod si rursus objicias interdum hominem non prædestinatum esse justum, cui Deus ex se non denegat auxilium efficacis ad salutem, quia non deserit amicum suum nisi prius deseratur ab ipso, respondet clare, et sine ulla tergiversatione ille auctor, alio in loco, eadem disp. 6, dub. 8, num. 58, Deum deserere justos per subtractionem auxilii efficacis pro sola voluntate, priusquam deseratur ab ipsis. Quando autem Concilium Tridentinum, session. 6, can. 11, dicit Deum non deserere justos nisi prius deseratur ab ipsis, intelligendum esse dicit de desertione per subtractionem gratiæ justificantis; hanc enim Deus non auferit a justis, nisi ipsi prius mortaliter peccent; auxilium autem efficacis ad non peccandum suo tantum arbitrio denegat, etiam justis quos non prædestinavit; ita ut non solum actu non det illud, verum etiam nec paratus sit dare. Talis ergo providentiæ ratio statuitur ab his auctoribus circa homines non prædestinatos, de qua duo explicare necesse est: primum, qualis sit illa doctrina, secundum quam necessaria illatione conjuncta sit cum sententia quam tractamus de physica prædeterminatione.

Ratio divinæ providentiæ ab adversariis po-

sita aliena est a divina bonitate et sapientia. — Dico igitur imprimis illam rationem providentiæ divinæ alienam esse a divina bonitate et sapientia, et a voluntate quam Deus hominibus in Scripturis manifestavit, ideoque doctrinam illam omnino falsam esse; quam vero censuram mereatur, non est nostrum nunc dicere, sed altiori judicio remittere. Probatur assertio primo, quia juxta hanc doctrinam sequitur primo, ita Deum disposuisse providentiam suam erga non prædestinatos, ut salvari nullo modo possint, etiam quantum est ex parte Dei; consequens est falsum; et contra Scripturam; ergo. Minor constat ex illo 1 ad Timoth. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri*; quem locum late tractavimus lib. 4 de Prædestinatione, cap. 1. Ostendimusque de omnibus hominibus sine limitatione esse intelligendum, ac proinde esse omnino certum, Deum, quantum in se est, omnes homines salvare voluisse. Huic autem veritati et principio plane repugnat dicere Deum reliquisse omnes non prædestinatos, cum tali genere ac modo providentiæ, cum quo per se et ex natura rei impossibile est tales homines salvari. Quod plane affirmant, qui dicunt Deum ex se decrevisse non dare his hominibus auxilium efficacis, alioqui de se necessarium ad salutem. Probatur, quia qui non est paratus ad dandum medium simpliciter necessarium ad finem, profecto nec ex se paratus est ad dandum finem, nam intentio finis necessario inducit voluntatem mediæ necessarii proportionatam intentioni; si ergo Deus ex se non dat, nec paratus est dare auxilium efficacis quod censetur esse medium necessarium ad opera salutis, non est etiam paratus ad dandum ipsam salutem. Falsum ergo est voluisse Deum omnes homines salvos facere.

Præterea, si Deus ex se ita voluit providere his hominibus, et non aliter, plane voluit ut nec salventur nec salvari possent; nullo ergo modo voluit salutem eorum. Probatur consequentia, quia nec voluit eam in seipsa, perfecta et absoluta voluntate, ut per se constat; nec voluntate conditionata, et includente vel illam limitationem: *Quantum est ex parte Dei, vel illam conditionem: Si homo cooperari voluerit*. Quod patet, quia supponitur Deus ex se decrevisse illum limitatum modum providentiæ præstare his hominibus, et non amplio-rem, quidquid ipsi conentur. Qua suppositione facta, illa conditio cooperandi est simpliciter impossibilis homini, ut consequenter et expresse fatetur prædictus auctor dicta du-

bitatione 3, numer. 109, 110 et 120 et 126. Unde nec vult Deus salutem talium hominum in mediis necessariis ad illam, quia revera non vult dare illa, imo potius ex se voluit et decrevit non dare. Nec denique voluit dare his hominibus potestatem obtinendi talia media, et consequenter nec tollendi defectum eorum. Quia, juxta dictam sententiam, unum medium maxime necessarium est de se auxilium efficacis, et his hominibus simpliciter est impossibile, tam moraliter quam physice, habere tale auxilium, quia non est relictum in potestate vel libertate eorum, ut constat ex dicto auctore, dicto numero 116, et dubio quarto, numero 46, vers. *Quarto probatur*, ubi id confirmare conatur ex illo Pauli: *Quis enim te discernit*.

Adversariorum responsio. — Respondebunt fortasse auxilium efficacis non esse necessarium ut homo possit salvari, sed ut salvetur, et ideo quamvis Deus ex se statuerit non dare his hominibus auxilium efficacis, nihilominus potuisse velle dare hominibus potestatem ut filii Dei fiant, et ita velle voluntate antecedenti salutem eorum non ut futuram, sed ut possibilem, et hoc satis esse ut dicamus hos homines salvari posse, quamvis infallibile sit nullum eorum futurum esse salvum.

Convincitur esse falsa. — Sed hoc facili negotio convincitur esse falsum et ridiculum; nam, licet auxilium efficacis, ut sic, detur homini, non solum ut possit operari, sed ut operetur, tamen si tale auxilium est simpliciter et ex natura rei necessarium ad operandum, necessario fatendum est, sicut est necessarium ad salutem illud de facto obtinere, ita potestatem habendi illud esse necessariam ad potestatem consequendi salutem; ergo homo cui non solum non datur tale auxilium, verum etiam nec potestas obtinendi, non solum non salvabitur, verum etiam nec salvari potest simpliciter, nec absolute, ac independenter ab ejus arbitrio; quia hoc modo est etiam illi impossibile habere tale auxilium ut in dictis locis expresse auctor ille fatetur. Assumptum præterquam licet ex terminis videatur evidens, declaratur ac demonstratur breviter. Quia, si unus actus est necessarius ad alium, potestas ad priorem actum erit necessaria ad potestatem habendi posteriorem actum. Ut si diaphaneitas est necessaria ad lumen, quod non potest esse diaphanum, non potest esse illuminatum; et quia species visibilis est necessaria ad videndum, qui simpliciter non posset habere speciem, simpliciter

non posset videre; et quia causa secunda non potest agere sine concursu primæ, si non posset habere talem concursum, simpliciter non posset agere. Est ergo attente considerandum, quando aliquid requiritur ad actualem operationem, præter virtutem proximam operantis, dupliciter posse illud requisitum considerari, scilicet, vel ut actu positum, vel in potestate habendi illud. Priori ergo modo non semper est necessarium ad actum primum, sed ad secundum, ut maxime patet in actuali concursu Dei. At posteriori modo semper est necessarium ad posse simpliciter, ideoque potestas habendi illud requisitum pertinet ad actum primum; illa autem potestas consistit in hoc ut Deus, quantum est ex se, sit paratus ad concurrendum, vel dandum requisitum illud, quando non potest aliter a creatura obtineri. Et ideo si Deus ex sese absoluto decreto denegat concursum, nullo modo manet in potestate creaturæ habere illum, et consequenter nec operari, eademque ratio procedit in auxilio de se efficaci, quod necessarium esse dicitur ex vi subordinationis et dependentiæ causæ secundæ a prima.

Confirmatur primum inconueniens. — Ad do præterea, juxta doctrinam horum auctorum, auxilium efficax, etiam in actu positum, non pertinere tantum ad actum secundum, sed magna ex parte ad actum primum, quia ipsi non ponunt auxilium efficax in solo concursu concomitante ad ipsum actum, sed maxime in quadam efficaci actione, qua Deus prævenit liberum arbitrium, et determinat illud ad agendum, per quam determinationem quodammodo completur in actu primo, quia sine illo (juxta hos auctores) erat impotens ad inchoandum hunc vel illum actum, quia potentia indeterminata (ut aiunt) non potest aliquid determinate agere. Unde si Deus decrevisset nullam omnino determinationem dari voluntati, simpliciter nihil posset velle, quia non esset in potestate ejus habere aliquam determinationem, neque est ipsa constituta in actu primo ad efficiendam illam, sed solum in potentia passiva ad illam recipiendam, quæ non sufficit ad potestatem agendi de qua loquimur; ergo si Deus ex se simpliciter decrevit non efficere in hac voluntate determinationem ad bonum actum, simpliciter etiam non est in potestate hominis habere illum. Et ita fatetur expresse ille auctor, dict. dubio octavo; nam numero 103 dicit, *quod liberum arbitrium nequit ad actum*

reduci, nisi per illud auxilium; et num. 110, addit *voluntatem sine tali auxilio non esse sufficienter constitutam in actu primo ut operetur, sicut potentia visiva sine specie, licet in ratione potentiæ habeat suam completam virtutem, tamen in ratione actus primi non est simpliciter constituta*; ergo, sicut potentia visiva sine specie est simpliciter impotens ad videndum, ita voluntas sine illo auxilio. Sic etiam Cabezudo, tertia parte, quæst. 62, art. 1, quæst. 2, dicit hanc motionem Dei efficacem esse principium per se omnis operationis; qui ergo illam non habet, nec habere potest, caret principio per se; quomodo ergo est potens?

53. *Aliud inconueniens ex præcedenti doctrina.* — Secundo, sequitur ex illa sententia, Deum imputare homini ad culpam id quod est illi impossibile, quod constat esse contra definitionem Concilii Tridentini et contra totam Scripturam. Sequela probatur, nam in peccato, verbi gratia, infidelitatis, vel imputatur homini ad culpam, quia per suam voluntatem non inchoat determinationem ejus ad effectum credendi, vel quia non facit illum sine tali determinatione, vel quia non recipit determinationem. Primum est impossibile voluntati creaturæ secundum hanc sententiam, quia illud non est munus causæ secundæ, sed solius primæ, quia alias (ut solent argumentari) liberum arbitrium creatum esset primum liberum; et ideo nobis tribuunt quod faciamus nostrum liberum arbitrium causam primam liberam suarum actionum, quia dicimus voluntatem nostram inchoare suam determinationem cum cooperatione Dei. Secundum etiam ipsi dicunt esse simpliciter impossibile, scilicet, liberum arbitrium creatum non prædeterminatum efficere suum actum; et loquuntur consequenter, quia si determinatio est voluntati simpliciter necessaria ad eliciendum actum, si illam inchoare non potest, multo minus potest inchoare actum ante illam, vel sine illa.

Declaratur tertium membrum secundi inconuenientis. — Tertium denique, cum ad solam potentiam passivam pertineat, non sufficit ad potestatem moralem qualis requiritur ut aliquid imputetur ad culpam, quia debet esse potestas libera; potentia autem passiva ut sic non est libera. Respondent interdum pendere ex aliqua dispositione libera, quod hæc potentia passiva reducatur ad actum, et ratione illius posse imputari ad culpam, quando non reducitur. Quam vero im-

probabile hoc sit, et quæ incommoda inde sequantur, ostendam capite sequenti. Hic autem evidens est id non posse responderi juxta eorum doctrinam supra citatam. Nam dicunt Deum ex se, nulla spectata hominis dispositione, decrevisse non dare homini auxilium de se efficax, seu determinationem (quod idem est), et ideo absolute non esse in potestate hominis prædestinati habere tale auxilium; ergo non pendet ex dispositione libera hominis, sed ex sola Dei voluntate, supposita ex parte hominis sola capacitate passiva, quæ omnibus eadem est; ergo simili modo, vel majori ratione, non est in potestate hominis habere effectum talis auxilii. At hoc est quod homini imputatur ad culpam; ergo imputatur ei id quod simpliciter non est in potestate ejus.

Regula summopere notanda ex Augustino. — Confirmatur hic discursus ex doctrina Augustini, libri de Correctione et gratia, cap. 11, et lib. 83 Quæstionum, quæst. 68, ubi hanc regulam constituit, si ad aliquod opus est necessarium aliquod gratiæ donum, et illud donum ita denegatur homini, ut Deus neque illud det, neque sit paratus ad dandum, quidquid homo faciat aut conetur, non posse imputari homini ad culpam, quod tale opus non faciat, quia simpliciter est impotens ad faciendum. Ita vero est in præsentī, juxta illam sententiam; nam auxilium hoc prædeterminans est necessarium ad opera salutis, et Deus non dat illud, neque ex se paratus est dare hominibus non prædestinatis. Nec sufficit quod Deus det auxilium præueniens (quod ab illis auctoribus vocatur sufficiens, et proxima virtus operandi), tum quia, ut capite sequenti ostendam, non potest dici sufficiens cui deest aliquid necessarium, quod neque habetur, neque haberi potest; tum etiam quia, licet virtus causæ secundæ sit integra et completa in suo ordine, si illi desit adjutorium, seu concursus causæ primæ, ita ut non sit in potestate ejus habere illud, et Deus absolute statuerit non dare, non potest tali causæ secundæ imputari ad defectum, quod non operetur; sicut non fuit defectus ignis Babylonici non comburere ex defectu concursus Divini. Neque homini habenti optimum visum imputabitur ad culpam, quod non videat, si non potest habere speciem, vel concursum Dei. Multum ergo repugnat pietati, fidei, et homines in quamdam desperationem injicit, qui docet homines damnari a Deo, eo quod non faciant id quod nec facere, nec inchoare

possunt, nisi a Deo per illud efficax auxilium prædeterminentur, cum Deus ex se decrevit, nulla spectata eorum dispositione, eis non dare tale auxilium.

Propositio formidanda in doctrina adversariorum contenta. — Tertio, continetur in illa doctrina alia propositio juris, profecto Catholicis formidanda, scilicet, *Deum deserere justos priusquam deseratur ab ipsis*. Quamvis enim ille auctor concedat illam propositionem de desertione quoad auxilium efficax, nullo modo satisfacit, neque evitat prædictum inconueniens. Primo, quia limitat generalia verba Concilii Tridentini sine fundamento auctoritatis vel cogentis rationis; secundo (quod caput est), quia illa limitatio et distinctio repugnat verbis Concilii, et destruit mentem ejus. Nam eo capite hoc præcipue agebat, ut doceret posse justos ita servare mandata, ut justitiam non amittant, nec mortaliter peccent, et ad hoc persuadendum inducit illud dogma: *Quod Deus non deserit justos, nisi prius deseratur ab ipsis*; ergo non loquitur de desertione per ablationem gratiæ habituales, sed per ablationem auxilii necessarii ad opera pietatis.

Deus cum justificaverit impium, illum non deserit, si non ab illo deseratur. — Tertio in hoc sensu locuti sunt Patres, a quibus Concilium illud sumpsit axioma; Augustinus enim, libro de Natura et gratia, capite 26, sic inquit: *Deus cum justificat impium, et ad perfectam sanctitatem justitiamque perduerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semperque juste vivat. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo, etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*; ubi evidenter loquitur Augustinus de adjutorio necessario justificatis ultra sanitatem gratiæ, sicut lux est necessaria oculo ultra sanitatem oculi, et quoad hoc adjutorium dicit Deum non deserere justificatos, loquiturque de adjutorio efficaci, ut patet ex illis ultimis verbis: *Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed etiam ut præstet ne peccemus*. Ponderanda etiam est ratio, qua utitur Augustinus; nam inde probat Deum non deserere justos quoad hoc adjutorium, quia est tam necessarium justis ad recte vivendum, quam est necessaria lux oculo sano ad videndum. In qua ratione tacite supponit non posse imputari, quod cadant, si Deus ex se deserat ipsos, negando

auxilium simpliciter necessarium ad recte vivendum.

In necessariis ad salutem Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso. — Similiter D. Prosper ad objectiones Gallorum in septima, et ad objectiones Vincentianas, etiam in septima, non solum de justis, sed simpliciter de omnibus hominibus ait Deum neminem deserere, nisi prius deseratur ab ipso, in necessariis scilicet ad salutem, hæc enim Deus nulli denegat ex se et ex sola sua voluntate. Quæ etiam doctrina habetur nomine Augustini, libri ad articulos sibi falso impositos articulo septimo. Denique idem voluit Anselmus, libro de Concordia, etc., capite tertio, dicens: *Sic gratia subsequitur donum suum, sive magnum, sive parvum sit, ut illud dare non deficiat, nisi liberum arbitrium, nolendo, rectitudinem quam accepit deserat.* Ubi attendente sunt expendenda illa verba, *sive parvum, sive magnum*, nam auxilium efficax non solum magnum, sed etiam maximum quid est; ergo de illo etiam maxime verum habet axioma illud.

Confirmatur. — Quarto, alias insufficiens et frivola fuisset doctrina Concilii. Quis enim unquam dixit deserere Deum justos privando eos habituali gratia, priusquam ipsi Deum deserant, peccando mortaliter, ut oportuerit Concilium denuo tradere illud dogma sic intellectum? Item quid hoc conferebat ad intentionem Concilii, quæ erat justos posse recte vivere? nam, licet non deserantur a Deo eo modo, si deseruntur quoad auxilium efficax, ita ut non sit in potestate eorum illud habere, certe non poterunt recte vivere. Eo vel maxime quod hæc desertio alteram includit; nam qui privatur auxilio efficaci, consequenti necessitate privabitur sanctificante gratia. Et hoc illi imputabitur ad culpam, secundum illam sententiam, quod profecto acerbius est quam privari habituali gratia sine propria culpa. Deterius enim est peccare, et propter peccatum gratia privari, quam quod Deus gratiam sola sua voluntate auferat; ergo nullo modo dicendum est Deum deserere justos quoad auxilium efficax, ex sola sua voluntate, priusquam deseratur ab ipsis; ergo nec admittenda est doctrina quæ illum providentiæ modum circa non prædestinatos Deo attribuit.

Evasio adversariorum. — At enim dicit aliquis, hunc fortasse fuisse peculiarem lapsum illius auctoris et defensoris physicæ prædeterminationis; tamen ab aliis ejusdem auxilii

defensoribus non admitti doctrinam illam, nec habere necessariam consecutionem cum sententia de physica prædeterminatione per se sumpta; ideoque, licet optime impugnetur ille providentiæ modus, non inde impugnari sententiam de physica prædeterminatione.

Præcluditur. — Qui autem hanc responsionem dederit, oportet ut modum probabilem evadendi illationem et consecutionem illam nobis ostendat. Nam revera auctor ille satis consequenti ratione, et (meo iudicio) evidenti illatione compulsus est, illud consequens admittere. Nam, si auxilium efficax antecederet necessarium est, in ipsa voluntate receptum, ut ipsa possit elicere actum, necessario sequitur non esse in potestate libera voluntatis habere vel non habere tale auxilium, quia solum est in potestate receptiva illius; unde consequenter sequitur non pendere ex voluntate hominis libera habere, vel non habere tale auxilium, sed solum ex Dei voluntate, ac proinde ex se decrevisse non dare illud omnibus quibus de facto illud non dat. Hinc autem cætera consequuntur quæ ille auctor concedit. Assumptum declaratur breviter, quia ante auxilium efficax nihil potest facere aut conari voluntas, quod illud auxilium consequatur, quia ad hoc ipsum (quidquid illud sit) necessarium est auxilium efficax, et sistendum est in aliquo primo; ergo si illud non datur, ex mera voluntate Dei non datur, sine ulla causa ex parte hominis; ex illo autem primo cætera pendunt. Tota ergo hæc desertio judicialiter reducenda est ad solam Dei voluntatem, quæ ex se absolute decrevit non dare illud auxilium efficax, sine quo salus comparari non potest, ut consequenter auctor citatus dixit; qui nihilominus in aliis locis, videns fortasse illius doctrinæ acerbitatem, alia diverticula quærit, ut voluntati attribuat carentiam auxilii efficaci, sicut facere etiam solent alii defensores physicæ prædeterminationis, quæ in sequenti capite refellere necessarium est.

CAPUT XVII.

REFELLITUR QUIDAM MODUS EVADENDI SUPERIOREM DIFFICULTATEM, ET IN ALIUM EXTREMUM ERROREM INCLINARE OSTENDITUR.

Quamvis auctores supra relati interdum fateantur aperte Deum ex se negare necessarium auxilium reprobis, nullo usu libero in

eis spectato, ac proinde illud non esse in potestate eorum, dum autem premuntur difficultatibus positæ superiori capite, ne cogantur fateri omnes carere auxilio sufficienti, eisque esse impossibilem viam salutis, aliis in locis alia diverticula quærent, conanturque defendere posse hominem libere sese disponere ad hanc determinationem, et non privari illa nisi qui sua libertate impedimentum ei ponunt. Reliquum ergo est ut hanc partem persequamur, ostendendo id fieri non posse nisi et tribuendo totam originem salutis puro libero arbitrio, et aliquid omnino falsum, et inintelligibile fingendo.

Duobus modis intelligi potest determinatio pendere ex prævio usu liberi arbitrii. — Duobus ergo modis intelligi potest determinationem hanc pendere ex prævio usu liberi arbitrii. Primo, ex dispositione positiva, quia videlicet liberum arbitrium, a Deo vocatum, per Spiritus Sancti inspirationem et illuminationem aliquam, bonum illius usum exhibere potest, quem si positive efficiat, statim recipit a Deo determinationem ad consensum; unde, quando illam non recipit, ideo est quia non bene utitur prævenientibus auxiliis. Secundo, potest hæc determinatio pendere ex prævio usu liberi arbitrii mere negativo, quia, scilicet, liberum arbitrium a Deo motum et excitatum saltem illi non resistit, sed sinit se a Deo determinari. Utrumque ergo modum tentatum et assertum invenio ab his auctoribus, sed in utroque esse insuperabiles difficultates demonstro.

Primo igitur Franciscus Davila in suo libro, cap. 7, pag. 55, sic inquit: *Auxilium præveniens sufficiens est ad salutem, non tamen per se solum potest salutem assequi, nisi ei efficaci auxilii lumen affulgeat, sicut visus est sufficiens principium videndi, non potest tamen actu videre sine lumine; explicans autem hanc sufficientiam subjungit: Qui ergo lethali culpæ subjacet, bene sufficienti utatur auxilio, et præsto aderit auxilium efficax, et cum eo gratia justificans; facienti enim quod in se est auxilio sufficienti, Deus non denegat gratiam.* Quod autem hic bonus usus positivus sit, et per aliquem actum bonum, declarat ibidem, pag. 49, dicens: *Homo, hanc repentinam commotionem (scilicet auxilii prævenientis) in se reversus iudicio ac libertate refovens, dum bene operatur, ad introductionem gratiæ se disponit, tametsi peccato mortali subjaceat.* Sic ergo requirit positivum usum liberi arbitrii, tanquam præviam dispositionem, ad quam

infallibiliter sequitur auxilium efficax; et inferius, cap. 8, p. 73, declarat hunc esse ordinarium modum dandi auxilium efficax ad justificationem; extraordinarie vero aliquando Deum dare hoc auxilium sine illis præviis dispositionibus, quod putat esse miraculosum. Atque hunc dicendi modum interdum sequitur Cabrera, disp. 6, dub. 3, num. 30 et seq., estque frequens inter hos auctores.

Sed interrogo an ille bonus usus liberi arbitrii, et bona dispositio quæ ponitur media inter auxilia prævenientia, quæ sufficientia vocantur, et auxilium efficax, fiat ab auxilio efficaci, vel sine illo. Primum dici non potest, quia dicitur esse dispositio prævia ad ipsum auxilium efficax. Si autem dicatur secundum, ergo illa dispositio est a solo libero arbitrio sine auxilio efficaci; ergo, cum per talem dispositionem fiat discretio inter duos æque vocatos sufficienter, quorum alter recipit determinationem seu auxilium efficax, et alter non recipit, sequitur hanc discretionem fieri ex solis viribus liberi arbitrii. Sequitur etiam actum, solis viribus liberi arbitrii factum, esse dispositionem ad quam infallibiliter sequitur auxilium efficax, et cum eo gratia justificans; quod Pelagianum est. Sequela patet, quia illa dispositio non potest esse nisi aliquis actus bonus et liber, qui dicitur fieri sine auxilio efficaci gratiæ; ergo per solas vires liberi arbitrii.

Responsio adversariorum. — Responderi potest primo, illam dispositionem non fieri sine auxilio efficaci gratiæ, licet fiat sine illo efficaci ad quod est dispositio; est enim evidens ab illo fieri non posse, quia auxilium efficax, a quo fit, debet esse prævium, et prius simpliciter natura seu causalitate; auxilium autem efficax, quod ratione talis dispositionis datur, respectu illius est mere subsequens et posterius. Sicut auxilium efficax, quod immediate datur ad conversionem, non potest dari propter illam tanquam propter dispositionem, quia antecedit illam; nisi quis fortasse hic dicat, quod de habitu ab aliquibus dicitur, esse priorem in genere causæ dispositivæ, seu materialis, licet sit posterior in genere causæ effectivæ. Hoc tamen dici nullo modo potest, alioqui conversio ipsa ut dispositio ad auxilium efficax non haberet supernaturale principium, sed solum liberum arbitrium, quod nemo dicere audebit. Unde, qui distinctione illa in habituum infusione utuntur, saltem putant dispositionem illam, ut priorem, esse ab auxilio efficaci, et respectu auxilii effica-